

.lxxxiii. IN NATALE PLURIMORUM MARTYRUM<sup>1</sup> .

QVotiescumque fratres karissimi sanctorum martyrum solemnia uo  
luntarie caelebramus ; ita ipsis benigne pro nobis inter  
cedentibus expectemus a domino consequi temporalia be  
neficia ; ut ipsos martyres imitando accipere merea  
mur aeternalia bona . Ab eis enim sanctorum martyrum  
in ueritate festiuitatis gaudia caelebrantur . qui ipsorum  
martyrum exempla sequuntur . Solemnitates enim  
martyrum exortationes sunt martyriorum ; ut imitari  
aliquis non pigeat ; quod cèlebrari dilecat . Sed nos  
uolumus fratres gaudere cum sanctis ; et tamen tribulationes  
mundi nolumus sustinere cum illis . Qui ergo sanctos mar  
tyres in quantum poterit imitari noluerit ; sic et pau  
lus apostolus clamabat dicens . Si fuerimus socii pas  
sionum ; simul erimus et consolationum . Et dominus ait in  
euangelio . Si mundus uos odit ; scitote quia me prio  
rem uobis odio habuit . Recusat ergo esse . in corpore ;  
qui odium non uult sustinere cum capite quid est christus .  
Sed dicit aliquis . Et quis est qui possit beatorum martyrum  
/146r/ uestigia sequi? Huic ego respondebo . quod non solum marty  
res sed etiam ipsum dominum . cum ipsius tamen adiutorio si uo  
lumus possumus imitari . Audi ergo non me . sed dominum -  
ipsum generi humano clamantem . Discite a me . quia  
mitis sum et humilis corde . Audi et beatum petrum  
apostolum ammonentem . Christus pro uobis passus est . relinquens  
uobis exemplum . ut sequamini uestigia eius . Similiter  
et paulus apostolus clamat dicens . Imitatores dei estote ; sicut  
filii karissimi . Quid ad haec respondebimus fratres . uel quam

---

<sup>1</sup> In left margin: sermo sancti augustini.

excusationem habere poterimus? Si nobis aliquis dicat . Virtutes quidem quas fecit dominus debemus imitari . Et hoc uerum est . sed tamen iusta potest esse excusatio tua . quid uirtutes et mirabilia facere non potes . quia non omnibus datum est hęc peragere . iuste autem et caste uiuere . et caritatem cum omnibus custodire . cum dei adiutorio omnibus preceptum est . Nam et ipse dominus non dixit . Discite a me mortuos suscitare ; et super aquas siccis pedibus ambulare . Non hoc quidem dixit . sed ait ; quia mitis sum et humilis corde . Et iterum . Diligite inimicos uestros . et benefacie his qui oderunt uos . Et iterum dicit . Estote misericordes . sicut et pater uester caelensis misericors est ; qui solem suum orriri facit super bonos et malos . et pluit super iustos et iniustos . Et iterum . Estote perfecti . sicut et pater uester perfectus est . Et licet sint alia multa in quibus debeamus et dominum et beatos martyres imitari . Ista tamen duo precipua sunt . id est ut mitessimus et humiles corde ; et inimicos nostros toto corde et totis uiribus diligamus . De diligendis ergo inimicis fratres karissimi . nullus in ueritate usquam /146v/ se poterit excusare . Potest autem michi aliquis dicere . non possum ieunare ; non possum uigilare ; numquid tamen potest dicere . non possum amare . potest iterum dicere . non possum res meas totas pauperibus dare . et in monasterio postea deo seruire . Numquid potest dicere non possum diligere proximum . O homo si dixeris quia a uino non possis uel a carnis abstinere . Credimus tibi si autem dixeris quod non possis in te peccantibus indulgere . omnino non credimus . quia non remanet nobis ulla excusatio . dum non de cellario sed de corde istam elimosinam iubemur implere ut per uiam uitiae ad aeternum patriam mereamur peruenire . Duobus enim preceptis id est diliges dominum deum tuum . et diliges proximum

tuum sicut te ipsum . quasi duobus spiritualibus pedibus si per uiam  
uere caritatis uolumus currere . ad aeternam patriam  
possumus feliciter peruenire . Istis quidem pedibus currebat  
apostolus paulus quando dicebat . Ego autem sic curro . non quasi  
in incertum . qui ergo dilexerit inimicos suos et benefecerit  
his qui oderunt eum ; illud in eo impletur quid dominus dixit .  
Diligite inimicos uestros ; ut sitis filii patris uestri qui in celis est .  
Modo ergo elige . o homo quid tibi placuerit . si inimicos  
dilexeris ; non solum amicus sed etiam filius dei esse mereberis .  
Si autem inimicos amare nolueris ; propitium deum habere  
non poteris . Quia scriptum est . Qui odit fratrem suum homicida  
est ; et in tenebris ambulat . et nescit quo uadit . quoniam tene  
bre obcaecauerunt oculos eius . Numquid hec uerba  
mea sunt fratres karissimi . non mea quidem . sed de scripturis sanctis  
et catholicis proferuntur . Ut ergo nesimus homicidae  
nec in tenebris remaneamus ; studeamus non solum  
/147r/ amicos sed etiam inimicos diligere ; ut pium et misericordem  
deum possimus uerè caritatis uinculum . cum libera conscientia  
nobis complacere et affari . Ipse enim dixit . Si dimiseritis homi  
nibus peccata eorum ; dimittet et uobis pater uester caelstis peccata  
uestra . Si autem non dimiseritis ; nec pater uester dimittet uobis  
debita uestra . Diligenter ergo attendite fratres karissimi et scito  
te aliud esse in deum peccare . et aliud in homine . Quando  
enim in nobis peccant homines ; si petentibus ueniam non  
indulgemus peccatum incurrimus . Quando autem  
aliqui in deum peccauerint . si sine grandi districtio  
ne indulgere uoluerimus . participes nos peccatis eorum  
efficiamur . Dicit ergo dominus . Si dimiseritis hominibus .  
peccata eorum . dimittet uobis pater uester caelstis peccata  
uestra . Rogo itaque uos fratres karissimi . quid dulcius dici po  
test ; in potestate enim nostra posuit . qualiter in die iudicii

iudicabimur . Non enim dixit . Vade ad orientem quae  
rere legem ; nauiga usque ad occidentem et inuenias et ca  
pias indulgentiam . Sed hoc tantum dicit . dimitte  
inimico tuo ; et dimittetur tibi . Indulge ; et indulgetur  
tibi . Da et dabitur tibi . Nichil ergo a te exterius que  
rit deus . sed tantum ad te ipsum et ad conscientiam tuam  
te dirigit . In te enim posuit . quod requirit . Non enim  
medicamenta uulneribus tuis longe opus habes . sed pec  
catorum tuorum indulgentiam si uis intus in cellario cor  
dis tui poteris inuenire . Sed dicit aliquis . tanta ma  
la inimicus meus compulit sustinere . ut eum nulla ratione  
possim diligere . O homo attendis quid tibi fecerit ini  
micus . et non attendis quid tu feceris deo . Si autem  
/147v/ conscientiam tuam diligenter discutis et inquiris ; sine ulla  
compensatione maiora tu peccata commississe in deo ; intelliges ;  
quam ea que in te comiserit homo . Considera ergo qua  
fronte uis ut tibi deus dignetur dimittere multum ; cum  
tu non acquiescis dimittere paruum . Sed si hec que  
supra diximus spiritalia medicamenta sicut deo propitian  
te semper consueuistis libenter accipitis . et in sancto armario  
conscientie uestre reconditum diligentissime custoditis ;  
auxiliante domino uenena diaboli non timebitis . et per odium  
aut iracundiam uel malitiam . numquam uobis postea  
animarum uulnera ingerentur ; et si forte subrepserint .  
cito per caritatem pristinam ad meliorem reuocabuntur  
emendationem . Recte ergo atque ex debito aecclesię . beatorum  
martyrum solemniter caelebrantur insignia ; quia  
illuminantes uirtute fidei sue innumerabiles populos ;  
soli quidem inlatam senserunt mortem ; sed non soli mor  
tis suae beneficia possederunt . Immensa enim dei nostri  
pietas multiplex est ad bonitatem . Quia in paucorum

triumphis ; plurimorum commodis disponere prospicit ;  
illorum siquidem merita martyrum . nostra uult esse suffragia ;  
Simulque dum nobis fidem ueram duro martyrii agone  
commendat afflictione precedentium . instructionem ef  
ficit posterorum . Quanta est ergo fratres karissimi circa nos  
dei nostri sollicitudo . Illos enim examinat ; ut nos ad  
quirat eorumque cruciatus . nostros uult esse profectus .  
Merito ergo eos colimus fratres qui periculis suis pugnant ;  
et nostris utilitatibus militant ; qui per lucis uitęque contemp-  
tum nos edocent ; quanto deum nostrum mentis nostrae  
/148r/ debeamus affectu uenerari . Ueneremur ergo dilectissimi  
in sanctorum martyrum gloria fidem nostram ; et congratule  
mur magnę fidei uestre . Martyrum enim mater est catho  
lica fides ; per quam sanctorum martyrum portio . et uirtutum  
plenitudo integra manet in caelo . Numquam enim  
hanc uitam constanter expenderent ; nisi esse alteram incom  
parabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent . In sanctis  
itaque preconibus ueritatis . magna nimitas passionis et resur  
rectionis auctoritas est . Prompti enim pereunt in melius  
reparandi ; quibus per angustias tribulationum aperitur exitus .  
ad tribulationum plenitudinem gaudiorum . Oratio enim eorum .  
quę castitatis ac iustitię et aelimosinarum operibus cum martyrii  
palma adiuuatur et eleuatur ; excedit mundum ; penetrat  
paradysum . euolat usque ad ipsum summae maiestatis  
angelo offerente conspectum . Sicut quodam in loco  
uox testatur angelica . Et cum tu inquit orares . ego obtuli  
orationem tuam in conspectu claritatis dei . Quę cum ita  
sint fratres karissimi ; honoremus beatos martyres ; principes  
fidei ; intercessores mundi ; precones regni ; conciues an  
gelorum . heredes quidem dei ; coheredes autem christi .

Quod si autem dicas mihi . quid honoras<sup>2</sup> in carne iam reso  
luta atque consumpta de hac uita . de qua iam nulla  
cura est . Recordare quod ueritas loquitur per prophetam  
dicens . Pretiosa est in conspectu domini . mors sanctorum eius .  
Et iterum . Iustorum autem animę in manu dei sunt ; et non  
tanget illos tormentum mortis . Et iterum . Mihi autem  
nimis honorati sunt amici tui deus ; nimis confortatus est  
principatus eorum . Iusti autem in perpetuo uiuent ; et apud  
/148v/ dominum est merces eorum . De quibus alio loco dicitur . Dominus in  
quit custodit omnia ossa eorum ; et unum ex his non conte  
retur . Honoro ergo cicatrices pro christi nomine susceptas .  
honoro uiuentes in memoria perennitatis uirtutes ;  
honoro corpus quod mihi deum meum ostendit diligere .  
Cur ego non honorarent corpus illud omnes fideles . quid re  
uerentur etiam doemones . quod aliquando afflixerunt  
in supplicio . sed modo glorificant in sepulchro? Honore-  
mus itaque fratres sanctos martyres ; ut eorum participes fieri . me  
reamur `esse` in caelis . per omnia seculorum . Amen .

---

<sup>2</sup> honoras] corr. from honores